

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

September 5, 1990

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. THE ASS AND THE PIG

Asinus videns quod Porco dabatur in domo panis, pulmentum et alia quedam, grossusque et pinguis fiebat, et quod in nullo laborabat nisi in comedendo et dormiendo, loquebatur secum, dicens: 'Ego cotidie grauiter laboro, pungor et verberor, et parum mihi datur ad vescendum. Certe fingam me infirmum'; et fecit sic. Et ait dominus domine domus: 'Asinus noster infirmatur; habe curam illius.' Domina itaque fecit eum portari in domum et poni iuxta Porcum, et ministrauit ei panem et farinam et aquam. Asinus in principio, vt suam fictionem teget, parum comedit, et postmodum magis et magis, et cepit bene impinguari; et dixit intra se: 'Modo habeo bonum.' Cum autem Porcus socius suus fuisset ad plenum impinguatus, vocatus est carnifex, qui veniens percussit Porcum securi in capite et occidit eum. Quod videns Asinus, tremefactus multum, ait intra se: 'Estne hic finis impinguacionis et quietis? Certe malo laborare et more pristino pasci.'

2. FROM ECCLESIASTICUS

Deus creavit de terra hominem,
Et secundum imaginem suam fecit illum.
Et iterum convertit illum in ipsam,
Et secundum se vestivit illum virtute.
Numerum dierum et tempus dedit illi.
Et dedit illi potestatem eorum quae sunt super terram.
Posuit timorem illius super omnem carnem,
Et dominatus est bestiarum et volatilium.
Creavit ex ipso adiutorium simile sibi;
Consilium, et linguam, et oculos, et aures,
Et cor dedit illis excogitandi,
Et disciplina intellectus replevit illos.
Creavit illis scientiam spiritus,
Sensu implevit cor illorum,
Et mala et bona ostendit illis.
Posuit oculum suum super corda illorum,
Ostendere illis magnalia operum suorum;
Ut nomen sanctificationis collaudent,
Et gloriari in mirabilibus illius,
Ut magnalia enarrent operum eius.
Addidit illis disciplinam,
Et legem vitae haereditavit illos.
Testamentum aeternum constituit cum illis,
Et iustitiam et iudicia sua ostendit illis.
Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum,
Et honorem vocis audierunt aures illorum.
Et dixit illis: Attendite ab omni iniquo.

3. BASIC GEOMETRY

Omnium dimensionum tria genera sunt: longitudo, latitudo, altitudo. Et longitudo quidem apud geometres linea dicitur, latitudo uero superficiei nomen accepit, altitudo autem proprio nomine soliditas appellatur. In his tribus dimensionum generibus

omnis geometrice discipline consideratio uersatur. Linea est cum a quolibet dato puncto ad quodlibet datum punctum porrectio fit. Que porrectio in quancumque partem fiat (hoc est siue ante siue retro, siue dextrorsum siue sinistrorsum, siue sursum siue deorsum) nihil ad naturam lineae proprietatemque complendam interest, si tamen sola porrectio fiat. Omne enim punctum potestatem habet, ut ab ipso puncto in omnem partem linea exeat, in ipsum punctum ab omni parte linea descendat; et, si omnes lineas ab ipso puncto in omnem partem exeuntes extrinsecus circumferentia excipiat, fit centrum circuli ipsum punctum. Nam omnes lineae a puncto exeuntes potestatem habent ad omnem punctum circumferentiam accipere, et omnis circumferentia potestatem habet in suum centrum equas ex omni parte lineas deducere.

4. VISIONS OF THE SAINTS

Item legitur in legenda beati Laurentii, inter miracula eius, quod ueniens quidam diues in quoddam oratorium beati Laurentii, uidens sacerdotem celebrare in calice stagneo, dedit bonum calicem argenteum. Postea, cum moreretur diues ille et contenderent demones cum angelis bonis, uenit quidam uir qui erat concrematus et totus ustulatus sicut fuit Laurentius, ostendens calicem quem dederat ei diues. Et ita liberatus est a manibus demonum.

Similiter, legitur inter miracula beati Nicolai quod quidam clericus laborans insano amore cuiusdam matrone, composuit ei hystoriam et prosam sancti Nicolai, que adhuc canuntur, ea conditione, ut frueretur amplexibus eius. Opere autem completo, noluit ei consentire, unde clericus ille incidit in mortis periculum. Vnde, cum uideret diabolos paratos ad recipiendam animam eius, cepit inuocare beatum Nicolaum. Cui respondens, beatus Nicolaus ait: da mihi opus quod fecisti matrone, et ego te liberabo. Quod cum ipse firmiter promisisset, conualuit de egretudine et saluus factus est.